

DE SYNODO DIOECESANA

SUMMARIVM: Hoc studio declaratur momentum Synodi dioecesanae quae non solum a Concilio Vaticano II spiritu renovatur, sed Codice Iuris Canonici novo sodalium varietate ampliatur. Post brevem historicam introductionem exponuntur Synodi vox, notio et actuatio, iter synodale describitur, eius nempe preparatio pastoralis, spiritualis et technica, eius «ordinis» redactio et synodaliū designatio. Postea examini subiciuntur Synodi liturgica natura et celebratio, munus praesidentis qui Episcopus est, documentorum redactio, promulgatio et communicatio, immo et eius, si necessariae, interruptio vel cessatio. Insuper de ipsius Synodi unico legislatore eiusque potestate fit disquisitio atque consequenter de synodaliū in Synodo legislativa cooperatione doctrinalis fit quaestio. Deinde exponitur convocatio Synodorum nationalium quae fuerunt praesertim linguae germanicae, sed diversae structurae; quae sunt Austriae, Helvetiae, Republicae Foederalis Germanicae. Ultima tractata est interrogatio de Synodis in posterum celebrandis et de materia maioris ponderis pro Ecclesiae dioecesanae vita pluries in eis considerata. In fine expositionis dantur Adnexa duo, unum de chronologia alicuius Synodi quae fuit Laudensis (Lodi), alterum quod est selecta fontium et studiorum bibliographia. Amplitudo huius materiae pro ulterioribus investigationibus est invitatio.

I. Historiae Synodi elementa

Verba facere de Synodo dioecesana res non est facilis. De his Synodis historicam quandam completam nondum habemus visionem neque de eorum actis editionem. Immo plurium Synodorum statuta et decreta vel desunt vel deperdita sunt¹. Immo, uti videbimus,

¹ Vide J. GAUDEMET, *Aspect synodal de l'organisation du Diocèse. Esquisse historique*, in AA.Vv., *Le Synode diocésain*

hodie in novo iure Synodus dioecisana aliam obtinet formam et missionem².

Post Concilium Vaticanum II^{um} frequentius celebrantur Synodi dioecisanae. Ipsum Decretum «Christus Dominus» (*C.D.*) modo sat generali exoptavit ut repristinetur Synodorum et Conciliorum particularium celebratio, at de Synodo dioecisana nullam facit explicitam mentionem vel commendationem. Concilia in textu decreti *C.D.* audiebantur provincialia, regionalia et plenaria, immo et nationalia³.

Apta quaedam post editionem novi Codicis iuris canonici et ob multas iam celebratas et mox celebrandas Synodos fit exquisitio de natura, finalitate, indicatione, praeparatione, compositione et convocatione Synodi dioecisanae necnon de eius celebratione atque de eius actorum et decretorum redactione et promulgatione, immo de eorum applicatione.

Utiliter ex ipsa historica Synodorum evolutione sequentia animadvertimus.

Vox «Synodus», quae e lingua graeca suam tenet originem, videtur usu saepius aequivalens termino «Concilium», immo et ambo termini aliquando simul adhibentur loquendo de «Synodali concilio».

Pressius tamen danda est vocabulorum significatio originalis. Synodus est «simul iter peragere», «simul seu in communi». Qui sensus verbi iam apud Isi-

dans l'histoire et dans le Code, Paris, Institut Catholique, 1989, 87 p. Vide pp. 4-31 ex qua parte nonnulla hic assumuntur.

² Comparanda est legislatio Codicis 1917 (cc. 356-362) cum novo Codice anni 1983 (cc. 460-468).

³ *C.D.* n. 36 a.

dorum Seville saeculo VII^o apparet⁴ et in Decreto Gratiani assumitur⁵.

Breviter dici potest haec verba uti similia tum saeculo VIII^o tum saeculo XII^o esse in lingua Ecclesiae usitata. Erant synonyma ut dicatur: *conventus vel coetus qui in communi eodem loco deliberat*.

Synodi definitio in Occidente in libro Benedicti XIV *De Synodo dioecessana*⁶ habetur et est sequens: *Legitima congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisque qui eam accedere tenentur in quo de his quae curae pastoralis incumbunt agendum et deliberandum est*. Postea, evolvente tempore et studiis de medio aevo peractis, saepius dicitur Synodus: *Periodica, officialis et obligatoria cleri dioecessani, cui cura animarum affiditur, congregatio cum Episcopo vel eius vices-gerente qua ipse clerus informetur et disciplinetur*. Sed notant studiosi illam cleri congregationem in dioecesi olim unum e mediis fuisse quo Episcopus clero suo instructiones suas imponebat, unde auctoritativa natura Synodi meliorem in lucem ponitur.

Alii autem hodie, modo forsitan magis optativo, uti dicam, Synodum ut «regimen synodale» considerant, quod primo millenio in communitatibus ecclesiis vixit.

Etsi historica de Synodis dioecesanis informatio incompleta sit, haec tamen notanda sunt:

⁴ L. VI c. 16.

⁵ D. XV c. 1 § 7.

⁶ *De Synodo dioecessana*, lib. I, cap. II n. b. IV.

⁷ D. XVIII.

— Cognoscuntur Synodi e statutis seu decretis in eis elaboratis.

— Non omnes Synodi statuta in eis elaborata et promulgata habent.

In primis saeculis, i.e. a secundo ad quintum, Synodi non habentur; communitates christianae non sunt numerosae, potius urbanae et cum Episcopo suo adunatae; immo et Episcopi presbyterium non multos videtur obtinere sodales.

A saeculo VI^o ob evangelisationem communitates ruri numero crescunt, ab urbe in qua residet Episcopus dissitae; unde necessariae fiunt cleri coadunationes quibus disciplina inculcatur, unitas inter Episcopum, clerum et populum christianum exstruitur.

Saeculo VII^o in Synodis fiunt promulgatio et applicatio decretorum Conciliorum provincialium, sex saltem mensibus post illius Concilii celebrationem.

Tempore autem Carolingineo non fuerunt Synodi, etsi vera reformatio fit ab Episcopis qui plures promulgaverunt leges sed non in Synodis proprie dictis diocesanis.

A saeculo XI^o ad XIV^{um} valde numerosae in tota Europa fuerunt Synodi dioecesanae. Exstant numerosa earum decreta. Quae synodalis actio habetur constans etiam saeculo XV^o. Plures cognoscuntur Synodi tum Italiae, tum Romae, et in Rhenania regione, ubi saeculo XIV^o Coloniensis Ecclesia regulariter celebravit Synodos. Item dici potest de dioecesi Ginevrensi; in ea inter annum 1290 et 1595 celebrantur viginti et quinque Synodi. Item habetur Synodorum regularis celebratio in Anglia et in regione Iberica.

Quae activitas synodalis iure universalis sustinetur et confortatur. Decretum Gratiani hanc tenet normam: «*Annis singulis Episcopus in sua diocesi Synodum faciat de suis clericis necnon et abbatibus et discu-*

*tia*t alteros clericos et monachos⁸. Concilium Lateranense IV (1215) annuales Synodus praevidet in quibus statuta promulgantur Conciliorum provincialium quae singulis annis celebrantur⁹. Concilium Tridentinum (1563) obligationem reaffirmat Conciliorum provincialium quae omni triennio celebranda sunt et annuas Synodos dioecesanarum¹⁰.

Paulatim autem activitas synodalis minuitur, etsi in quibusdam Ecclesiis viguit illa uti Mediolani ubi Carolus Borromeus (1564-1584) post Concilium Tridentinum undecim celebravit synodos¹¹. Maior fit tunc temporis auctoritas et strictior directio pontificia et saepius Synodus dioecesana evitatur, quae occasio fit oppositionum Episcopum inter et clerum, religiosos et laicos qui propria sua defendunt privilegia¹². Sub influxu Jansenismi positio Episcopi dioecesani fit debilior et effertur presbyteratus momentum. Multi tunc temporis eduntur libri inter quos eorum tituli plura manifestant: «De communi gubernio dioecesis ab Episcopo et parochis», «De auctoritate secundi ordinis in Synodo dioecesana», «De institutione divina parochorum et eorum iure in gubernatione generali Ecclesiae»¹³. Attamen plures Summi Pontifices celebrationem Synodi dioecesanae fovent, uti sunt Benedictus XIII et Benedictus XIV.

⁸ D. 18c, c. 16.

⁹ *Conc. Lateranense IV*. Const. 6. Vide *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bologna 1983³, pp. 236-237.

¹⁰ *Conc. Tridentinum, Sessio XXIV (1563). Decretum de reformatione*, c. II. Cfr. *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, Bologna, 1983³, p. 761.

¹¹ J. GAUDEMET, art. cit. (nt. 1), vide p. 15.

¹² J. GAUDEMET, *Ibidem*.

¹³ J. GAUDEMET, *Ibidem*.

Post gallicam revolutionem Synodi dioeclesanae difficulter convocantur. Quae maiora celebrantur Concilia plenaria uti Coloniae Agrippinae anno 1860 et synodalem fovant actionem¹⁴.

Quae actio synodalis aliquomodo renovatur a Codice anno 1917 promulgato sed illae celebrantur prudenter, cum paucis presbyteris, vicariis foraneis et e vicariatu uno presbytero ab aliis electo. Codex statuerat Synodum dioeclesanam celebrandam esse omni decennio. Numerosi fuerunt ab anno 1919 sed post secundum bellum mondiale (1940-1945) rarius celebrantur.

Post Concilium Vaticanum II (1960-1965) et speciatim post promulgationem novi Codicis (1983) maior fit synodalis activitas in Ecclesia latina¹⁵.

In novo Codice dicitur Synodum dioeclesanam celebrari posse «cum adiuncta id suadeant» (c. 460) et quidem «in bonum totius communitatis dioeclesanae» (c. 461).

Quae duplex conditio non sine momento est. Olim Synodi saepius convocabantur ad decreta Conciliorum particularium promulganda et applicanda; insuper, pro Episcopis, praepriis erat occasio presbyteros convocandi et cum eis de eorum vita et actione pastoralis colloquendi.

At hic magna novitas in iure actuali notanda est. Synodus dioeclesana non iam est clericorum in ministerio pastoralis agentium convocatio sed praeter delectorum sacerdotum convocationem christifidelium

¹⁴ J. GAUDEMET, *Ibidem*, pp. 17-18.

¹⁵ P. VALDRINI, notat in Gallia, initio anni 1989 in undeviginti dioeclesibus celebrari Synodus, in AA.VV., *Le Synode dioecésain, Introduction*, p. 3 (nt. 1).

est coadunatio. Delegendi sunt sacerdotes qui Episcopi esse possunt coadiutor quidem et alii episcopi auxiliares, presbyteri etiam religiosi vel alicuius associationis seu motus ecclesialis. Alii sunt christifideles, non tantum laici sed etiam religiosi non-sacerdotes et religiosas. In Codice praecedenti ut convocandi nominabantur non nisi presbyteri; expresse non nominabantur Episcopi, sive coadiutores, ad sedem vel ad personam, sive auxiliares.

Canones in Codice actuali ad quorum normam Synodus dioecesana est convocanda et celebranda novem sunt (cc. 460-468); lineamenta, uti dicam, quaedam maiora exponunt, alia autem omnia ad ius proprium dioeceseos remittunt; immo, de hac materia in hoc loco explicite non dicuntur normae a Conferentia Episcoporum speciales esse determinandae vel applicandae.

In Codice praecedenti exoptabatur celebratio Synodi dioecesanae omni decennio (c. 356) Quae norma in codice viginti non servata est. Si retinetur in schemate anni 1977 (c. 271 § 1) et in sequenti schemate anni 1980 (c. 380 § 1), in textu ultimi schematis anni 1982 (c. 461 § 1) et in textu Codicis vigentis (c. 468 § 1) non iam habetur. Unde stricta de synodo dioecesana celebrando obligatio non iam habetur; eius enim celebratio a voluntate Episcopi dependet, qui Episcopus eam convocare et celebrare non potest nisi audito quidem eius consilio presbyterali (c. 460).

De materia in Synodo dioecesana tractanda in Codice praecedenti haec stipulabantur: «in qua (synodo) de iis tantum agendum quae ad particulares cleri populiue dioecesis necessitates et utilitates referun-

tur» (c. 356 § 1). Quae e pluribus Conciliorum uti et Tridentini decretis atque pontificiis documentis recapitulabantur. Codex novus de obiecto Synodi dioeclesanae generalius agit, qui de Synodo loquitur ut de coetu delectorum sacerdotum aliorumque christifidelium Ecclesiae particularis qui in bonum totius communitatis dioeclesanae Episcopo adiutricem operam praestant» (c. 460 § 1).

E textuum comparatione elucent plura: olim agebatur de cleri et populi necessitatibus et utilitatibus, hodie de bono totius communitatis dioeclesanae, cui pertinent etiam non stabiliter domiciliati, immo et alieni etiam alius cultus vel religionis. Ipsa autem communitas dioeclesana alios coadunat quam clerum et populum proprium, religiosos nempe et religiosas omnesque qui ad eius vitam et progressum cooperantur, etiam illi qui, occasionaliter actione temporaria vel praedicatione speciali transeunter, eius vitae participes fiunt.

Quae positio diversa Codicis praecedentis et actualis in schematibus nonnulla subiit mutamenta. In schemate anni 1977 fusius haec Synodi finalitas describitur: «in bonum totius communitatis dioeclesanae adiutricem praestent operam presbyteri et alii christifideles proprio eiusdem Ecclesiae pastori, Episcopo dioeclesano et ad quam pertinet de iis quae ad propriam missionem propriasque utilitates eiusdem Ecclesiae particularis referuntur agere causas» (c. 270).

Quae in schemate anni 1980 non retinentur; dicuntur enim eadem quae in textu schematis anni 1982 habentur et in Codicis textu assumuntur. Non iam de utilitatibus et de necessitatibus loquitur Codex actualis.

Regularis convocatio Synodi dioecesanae in Codice praecedenti omni decennio erat facienda; quae norma reipristinata est in schemate anni 1977 cui haec adiungebantur: «si tamen, iudicio Episcopi dioecesani, adiuncta id suadeant, eius celebratio differi potest, non vero ultra viginti ab anteacta celebratione annos» (c. 271 § 1). Quae eadem norma assumit schema anni 1980 (c. 380 § 1). Non autem retinetur in schemate anni 1982 (c. 461 § 1) neque in Codice vigenti (c. 49 § 1). Quae suppressio respondet votis Episcoporum, uti habentur in Relatione (*Rel*)H10¹⁶ de eorum animadversionibus anni 1981 edita (*Rel.* ad c. 380).

Ultima animadversio nobis est referenda propter eius pondus et sapientiam. Dicunt consultores simul ac secreteria qua sunt interrogati: «Omnibus perpen-sis animadversionibus, placet ut tempus non determinetur pro celebratione Synodi utque decisio pertineat ad Episcopum dioecesanum, audito Consilio presbyterali, non autem simul cum Consilio pastorali, quia de re agitur ad gubernium dioecesis pertinente. Ideo § 1 ita mutatur: “*Synodus dioecesana in singulis Ecclesiis particularibus celebretur cum iudicio Episcopi dioecesani, audito Consilio presbyterali, adiuncta id suadeant*”» (*Rel.* ad c. 380, p. 109).

Ponitur hodie quaestio de spontaneo aliquo modo quo convocatae sunt Synodi dioecesanae post Concilium Vaticanum II^{um} et ante Codicem novum anno 1983 promulgatum; alicuius videbantur esse necessitatis et aliquando fidelium expectationi respondere.

¹⁶ Vide *Relatio complectens*, in *Adnexum II. Bibliographia, Fontes. A.*

Tempus enim erat quo Concilium applicandum videbatur. Insuper, celebrato Concilio, pastorales eius innovationes et applicationes proponebantur et assumebantur.

At Codex novus, si Concilii Vaticani IIⁱ dici potest applicatio, eo nondum plena et perfecta est. Ipsum tamen Concilium exemplo videtur fuisse et adiutorio ut Synodi dioecessanae celebrentur etiam sequendo ordinem eius celebrationis, etsi necessario Synodi naturae aptandum. Dici poterat dynamica Synodorum dioecesanorum animari dynamica ipsius Concilii Vaticani IIⁱ.

Etsi ligamen habetur Concilium inter et Synodum celebrandam, maior quaedam cum Concilio similitudo, si stabiliatur, nociva esse potuit, sicut olim in historia Ecclesiae atque graviora etiam nunc habere potest incommoda. Quae aliquo modo fuerunt in Concilio, speciatim eius initio, non innovanda videntur in aliqua Synodo celebranda.

Qui Acta et Decreta Synodorum dioecesanorum post-conciliaria perlegit tria ut maioris momenti ex eis videntur puncta designanda, quibus melius eorum apparent mens et cura.

Primo in eis exoptatur ab ipsa Synodo fidelis, immo semper melior, applicatio Concilii Vaticani IIⁱ in vita et activitate dioecessana; insuper ipsius dioeceseos propria identitas in eis affirmanda, melius definienda et etiam renovanda; denique clarificanda remanent et inculcanda quae sunt fundamentalia de natura, missione et munere laicorum in vita ecclesiali, et speciatim in ipsa dioecessana compagine. Quae omnia in fine investigationis saltem breviter exponere volumus.

In fine autem huius primae partis non possumus non quaedam de ipsa activitate synodali audita referre

quae saepius ut dubia proponuntur at, attente considerata, non sine momento fiunt.

Suntne Synodi alicuius influxus transitorii vel permanentis? Estne primaria an potius extraordinaria haec dioecesana structura? Estne Synodus vere efficax in vita fidelium omnium? Estne, uti hodie in Codice proponitur, structuralis innovatio? Suntne alia «Synodalia elementa» etiam recentiora maioris momenti? Quomodo omnia in una vita dioecesana sunt introducenda, retinenda et componenda. Quae in fine expositionis breviter erunt quaestiones tractandae.

II. De celebratione Synodi dioecesanæ

Experientia ducti, Synodi dioecesanæ ex actis et decretis hodie nobis facilius fit eius celebrationis iter delineandum et proponendum. Quare saltem breviter de omni huius itineris gressu verba faciamus oportet.

1. DE SYNODI DIOECESANÆ PRAEPARATIONE

A. *PRAEPARATIO SYNODI GENERALIS* magni videtur momenti et e pluribus iam celebratis quaedam hic aptiora proponenda sunt.

a. Opportuna, si fieri potest, est *visitatio pastoralis* totius dioeceseos ab ipso Episcopo facta ut ipse cum necessaria praeparatione Synodum annuntiare et dirigere possit. In maioris extensionis dioecesibus ipse Episcopus solus vix peragere poterit visitationem sed ab aliis, saltem pro parte, fieri poterit visitatio, nempe auxiliaribus Episcopis vel, si sint, vicariis episcopalibus non-episcopis. Quae visitationes omnes per sat longum tempus fiat quin ut praeviae ad Synodum celebrandum expresse nominentur.

b. Cum nuntiatur celebratio Synodi, incipiat statim eius *praeparatio spiritualis*, oratione fidelium omnium, etiam publica, in omnibus Ecclesiis, oratoriis et communitatibus instauranda.

c. *Praeparatio pastoralis* quaedam est etiam praevidenda, quae est omnium fidelium instructio de natura, momenti celebrandae Synodi, et speciatim de eius materia ut melius innotescat sensus communionis et missionis Ecclesiae dioecesanae atque suscitetur activa omnium fidelium participatio quae concrete est initianda.

Quae omnia ante electionem vel nominationem Synodalia fiant oportet. Ut omnes unum sint, non reservanda est praeparatio Synodi illis solis qui Synodi sint vel fieri possunt membra.

B. *TECHNICA PRAEPARATIO* lucide praevidenda et paranda est. Quae sequens proponi potest.

a) *Remotior praeparatio* quaedam haberi potest.

1) De punctis probabiliter primo tractandis fieri potest *ab Episcopo informatio*. De his etiam aliqua consultatio fieri potest, quaestionariis ad hoc apte digestis.

2) *Interrogari possunt systematice paroeciae*, earum consilia pastoralia et oeconomica et communitates religiosae atque associationes quae in dioecesi operosae sunt, non tantum quae «publicae» dicuntur (cc. 312-320) sed etiam quae «privatae» sunt (cc. 299, 321-326).

3) *Interrogationis compendium* fiat vel in vicariatibus forensibus (cc. 553-555) vel ab ipsa Synodi secretaria. In votis tamen est ut omnes et singuli christifideles qui in dioecesi vivunt suo modo active huius praeparationi participari possint. Quae certo res non videtur facilis sed non est de se impossibilis.

b) *Proxima Synodi praeparatio* sequenti modo haberi potest:

1) Constituantur una vel plures *commissiones praeparatoriae* in quibus cooperantur clerici dioecesani et religiosi, sodales religiosi laici, viri et mulieres atque alii christifideles sed sint coadiuvati a peritis in materia de qua agitur, theologica, canonica, liturgica, spirituali, pastorali. Qui periti sint praeprimis qui in dioecesi vel in seminario vel alio in instituto theologico vel formativo docent.

2) Quos labores coordinare potest *commissio praeparatoria centralis*, quae documenta synodalia praevia parat.

3) Quae documenta ab ipso Episcopo submitti possunt *consilio presbyterali vel etiam pastorali*; cuius Episcopi est, auditis his consiliis, ea Synodo dioecesanae praesentare. Quae tamen supervisio documentorum potius commissioni centrali Synodi potest devolvi.

4) Ut plenior et largior fiat Synodi praeparatio et facilior postea eius receptio, Episcopus documenta sic parata submittere potest *coetibus praesynodalibus sive paroecialibus vel vicarialibus* quo fiat ipsa discussio synodalis magis repraesentativa et fructifera.

5) Quae praeparatoria activitas *restrictioris temporis* non sit sed saltem unius anni ut tota dioecesis spiritu vivat Synodi celebrandae.

C. *ORDINIS SYNODI CELEBRANDAE PRAEPARATIO*. Ad praeparationem Synodi, quae iure proprio dirigenda est, necessaria est redactio «Ordinis Synodi celebrandae» quo ipsa Synodi activitas regulari possit. Qui Ordo ab Episcopo paratus et approbatus omnibus est servandus, et si necesse sit, ab eo emendandus.

a) Ordo Synodi sit a *peritis elaborandus*. Qui Or-

dines synodales aliarum dioecesium utiliter examini subicere possunt. At ipse Ordo sit dioecesi proprius quo aptior fiat eius observatio iuxta numerum participantium, consiliorum quae interroganda sunt, materiae extensionem tractandae, decreta et acta tempore opportuno redigenda et promulganda.

b) Ordinis synodalis *textus examen* fiat in consilio episcopali, auditis in hac materia peritis, etiam extra-dioecesanis. Immo ut Ordo melius conficiatur aliorum ordinum cognoscenda est applicatio prout bene recepta et fructifera fuit.

D. EPISCOPI DIOECESANI EPISTULAE PASTORALES.

a) *Epistulae pastorales* Episcopi dioecesani semper maioris fuerunt et remanent momenti et auctoritatis. Per has epistulas Episcopus omnes fideles directe attingit et ad celebrationem Synodi praeparat.

b) *Themata harum epistularum* sunt significativa, inter quas prima et maximi ponderis est ea qua Synodi celebratio nuntiatur. Sequentes epistulae plura possunt exponere quae in dioecesi sunt actuanda uti v.g. Prospectivae novae Evangelizationis, Communio in Synodo celebranda fovenda, Synodus oratione et ieiunio paranda, imploratio Spiritus Sancti ante ipsius Synodi celebrationem, quae in Synodi tempore sit continua.

c) Praeter haec themata magis pastoralia et spiritualia, notanda sunt ad praxim *nuntia, documenta et Decreta* publici iuris ab Episcopo facienda uti sunt:

1) Decretum indictionis quo Synodus nuntiatur et convocatur.

2) Epistula qua convocantur christifideles ad responsabilem collaborationem quae practice organisari debet.

3) Nuntium Episcopi de vita et missione dioeceseos.

4) Oratio ad felicem Synodi exitum a Deo obtinendum. Quae prex cotidie in omnibus ecclesiis et oratoriis est cum populo dicenda et a fidelibus etiam privatim recitanda.

2. DE SYNODI COMPOSITIONE

Componitur Synodus varia sodalium participatione et sunt qui ei de iure pertinent et alii qui electione designantur, immo et alii ab Episcopo dioecesano nominantur. Eo tamen fiat oportet modo ut dialogus et discussio sint possibiles. Synodi qui nimio numero participatum constituuntur ad inefficacem actionem damnantur vel peius ad aliquorum sodalium affirmationem destinantur. Raro coetus plurimorum sodalium ad dialogum, immo ad discussionem aptus est. Unde praeprimis vitandus est, quantum possibile sit, numerus participantium excessivus.

Electio sodalium, ut recte fiat, post aliquam tantum praeparationem habeatur, sicut et eorum activitas synodalis opportune paranda est. Ne fiat antequam in dioecesi peragatur spiritualis praeparatio de qua supra, quae sit orationis et reflexionis.

In hodierna Synodi compositione iure adnumerantur, praeter Episcopum dioecesanum, Episcopus coadiutor, si datur; Episcopi auxiliares, qui saepius hodie sunt numerosi et in futuro melius minori numero vel non iam in dioecesi nominentur; vicarius generalis unus et aliquando plures sunt; vicarii episcopales etiam episcopi; vicarius judicialis qui semper unus est; canonici Ecclesiae Cathedralis, membra consilii presbyteralis, rector seminarii maioris, vicarii foranei (c.

463 § 1, 1°-4°; 6°-7°). Qui sodales iam sat numerosi sunt.

Insuper adnumerandi sunt qui, vi Codicis, sunt eligendi presbyteri, unus e unoquoque vicariatu foraneo et eligendi sunt eodem numero supplentes, qui Synodo non nisi vicem gerentes alicuius presbyteri impediti adsunt (c. 463 § 1, 8°). Inter eos hodie saepius dantur religiosi qui parochi vel viceparochi sunt.

Insuper adsunt superiores religiosi et societatum vitae apostolicae presbyteri qui in dioecesi domum habent. Numerus et modus eos eligendi vel nominandi ab Episcopo determinatur (c. 463 § 1, 9°). Saepius vel a secretariatu Unionis Superiorum Maiorum designantur vel ab ipsa Unione eligentur. Diaconi permanentes, etiam nominandi vel eligendi sunt iuxta Ordinem Synodi.

Laici, etiam sodales institutorum vitae consecratae¹⁷, a Consilio pastorali eligendi sunt modo et numero ab Episcopo determinandis (c. 463 § 1, 5°).

Ab Episcopo insuper nominari possunt sodales qui presbyteri et laici sunt ut, electionibus iam peractis, melior fiat totius dioeceseos repraesentatio, non tantum coetuum et associationum sed omnium fidelium, saepius iuxta aetatem, laborem, sociale situationem (cfr. c. 463 § 2). Mirum est videre Synodum in qua nullus sodalis erat supra sexaginta annos aetatis! Qui synodales ab Episcopo nominati non tertiam sodalium superent partem. Quae tamen ultima limitatio

¹⁷ Quaestio ponitur de ipsa notione «laicus» retinenda vel substituenda. Videtur a notione «Christifidelis» superata et iuxta varios «ordines personarum ultro personis singulis rectius delinenda». Cfr. J. BEYER, *I laici nella Chiesa*, in *Vita consacrata*, 25 (1989) 254-263.

non in Codice praevидetur sed in Ordine Synodi apponi potest.

Codex c. 463 § 3 praevидet ut et nominantur ab Episcopo *qua observatores* aliqui ministri aut sodales Ecclesiarum vel communitatum ecclesialium quae non sunt in plena cum Ecclesia catholica communione. Quae norma iuxta statum dioeceseos est applicanda. Qui observatores vel omnibus vel melius quibusdam sessionibus vel coadunationibus adsint, prout invitantur et designantur etiam iuxta Ordinem Synodi.

3. DE CELEBRATIONE SYNODI

Non videtur minuendum momentum celebrationis Synodi, quae natura sua est liturgica. Quae celebratio fit iuxta praescripta quae habentur in Coerectionali Episcoporum¹⁸.

Locus celebrationis in Codice non indicatur; Codex praecedens dicebat Synodum in Ecclesia cathedrali celebrandum esse, nisi aliud rationabilis causa suadeat (c. 357 § 2). Rationabilis causa erat, uti etiam nunc, libera discussio fovenda quae in aula aliqua ad hunc finem melius ordinata facilius instituitur. Quae discussio sit libera. Dicebat autem Codex praecedens in sessionibus praeparatoriis (c. 361); quod in Codice vigenti non iam dicitur. In genere loquitur Codex actualis «De Synodi sessionibus» (c. 464).

Tota dioecesis ad celebrationem Synodi est convocata ut oratione praeparetur qua lucem et unitatem in rebus discernendis et statuendis obtineat dioecesis tota in Synodo repraesentata.

¹⁸ *Caeremoniale Episcoporum*, 1984, 393 p. Vide pp. 277-278, artt. 1169-1176.

Eucharistia saepius pro synodalibus est offerenda. In ea vivit et crescit Ecclesia. Ultima sessio Synodi sit eucharistica; fiat in Ecclesia cathedrali, ubi simul habeantur homelia Episcopi et decretorum lectio et, si placet, ultima eorum approbatio quae suffragio unanimi in hac solemni celebratione apte manifestatur.

Celebrationes liturgicae synodales sint et omnibus fidelibus apertae, praesertim quae in Ecclesia cathedrali eucharisticae sunt. Exeant autem non synodales ex Ecclesia, si in ea habentur disputationes et suffragationes ordinariae. Haec omnia in Ordine Synodi dioecesanae determinantur.

Suffragationes in Synodo peragendaе praevidentur, et etiam in Ordine Synodali determinantur, aliae ad personas ad munera synodalia eligendas, aliae ad munera in Synodo exercenda synodalibus quibusdam vel aliis concedenda, alia ad textos propositos emendandos et definitive approbandos ante solemnem in Eucharistia finali suffragationem obtinendam.

Quae suffragationes a solis synodalibus fiunt, aliis exclusis omnibus qui forsitan adsunt, vel ut observatores, vel ut collaboratores in Secretaria Synodi. Quae suffragationes semper fiunt personales, uno voto expresso. Procuratores haberi non possunt (c. 464) et nullus synodalis duplici suffragio vel voto fruitur.

Suffragationes omnes in sede synodali seu in eius aula seu in Ecclesia cathedrali, omnibus adstantibus, faciendae sunt; fieri possunt secreto, in foliis suffragationis quae paranda sunt, reticito quidem nomine, si hic modus suffragationis Ordine Synodali praescribitur vel a synodalibus numero sufficienti et determinato rogatur. Non possunt fieri scripto quodam ad Episcopum vel secretariam misso.

4. DE SYNODI DIOECESANAE PRAESIDE

Episcopus dioecesanus Synodi est praeses, non honoris causa, nam tria sunt hic de Episcopo notanda quae clare in Codice affirmantur: solus Episcopus Synodum convocare potest (c. 462 § 1); solus ipse ei praesidet (c. 463 § 2); ipse solus est in Synodo legislator (c. 466). Ipsa ergo Synodus sub ipsius Episcopi responsabilitate personali celebratur. Quae omnia longa traditione in Ecclesia servantur.

Quod eo magis affirmatur quod si ipse Episcopus ad unam alteramve sessionem ducendam vicem gerentem nominat, sit vel Vicarius generalis vel Vicarius episcopalis. Pressius dicit Codex c. 462 § 2 hos vicarios, si nominentur ad hoc munus excercendum, delegata potestate agere, non ergo vicaria. Immo ad singulam sessionem Synodi necessaria est nova delegatio. Quae ergo delegatio non ad tempus determinatum fit, sed *ad actum*. In genere quando Vicarius generalis vel episcopalis mandato speciali agit, non agit delegata sed vicaria potestate (cfr. c. 479 § 1). In casu nostro haec non sunt tenenda; immo explicite dicitur agere ut delegatus pro singulis sessionibus Synodi (c. 462 § 2).

Praesidentia Episcopi propria sede in aula aut in Ecclesia appareat oportet. Immo si Vicarius eius nomine sessionem aliquam ducit, non alia secundaria sede ipse Episcopus sessioni praesens sedeat, ut etiam recenter in aliqua Synodo fiebat.

Quae omnia in ipso Ordine Synodi sunt clare determinanda. Iura ergo et officia Episcopi, qui praeses solus est Synodi, clare et technice in Ordine Synodi sunt definienda.

Remanent solvendae duae quaestiones. Codex clare affirmat Episcopum posse Vicarium generalem

vel episcopalem delegare. Potestne alium sacerdotem delegare qui eius sit vicegerens? Ob graves rationes videtur affirmative respondendum. Potestne aliquem «moderatore» nominare qui discussiones dirigat? In hoc casu praevallet norma Codicis; normaliter ad hoc nominatur Vicarius generalis vel episcopalis. Ob graves tamen rationes videtur Episcopus alium sacerdotem ut moderatore nominare posse, qui solus sit «moderator discussionis», nullam autem potestatem exerceat aut quaestiones auctoritate propria dirimat, etiam si tantum de Ordine Synodi servando agatur.

5. DE SYNODALIUM DECRETORUM REDACTIONE

Ut textus e Synodo promulgandi ab Episcopo sint synodales, ab omnibus membris sunt considerandi, studio elaborandi, libere emendandi ut suffragatione eorum progressive approbentur et finaliter ab ipso Episcopo, Synodi unicus legislator, promulgandi et applicandi.

Quae ut recte fiant, haec sunt observanda.

Documenta synodalia omnia omnibus et singulis synodalibus tempestive communicanda sunt, uti a commissionibus sunt parata, a commissione centrali revisa, ab Episcopo comunicanda.

Ut bene intelligantur, brevi relatione sunt introducenda quae scripto textu est praemittenda.

Quae documenta, ut futura Synodi decreta, sunt disputationi Synodali subicienda, atque inde corrigenda, amplianda vel restringenda a competenti commissione. Quae documenta ad ultimam disceptationem a commissione centrali sunt approbanda.

Synodales omnes et singuli ampla libertate propriam suam semper sententiam exprimere possunt et debent. Quae libera disputatio in Congregationis pro

Episcopis Directorio «Ecclesia Imago» maximi momenti fit et exigitur (n. 165).

Textus ultimo emendatus iterum suffragationi est submitendus.

Unde distinguuntur «suffragationes simplices» de textu ad disputationem admissio ut corrigatur, mutetur, perficiatur; suffragatio ultima in Synodo facienda est de textu definitive elaborato; quae suffragatio finaliter ab omnibus synodalibus iteratur ut fiat textus vere synodalis ab Episcopo approbandus et promulgandus. Quae promulgatione episcopali fiet decisio synodalis.

Uti videbimus, si non obstantibus Episcopi monitionibus tum in praeparatione documentorum, tum in celebrationis sessionibus vel damnosae videntur assumi dispositiones vel contrariae legibus Ecclesiae generalibus, ipse Episcopus vel synodalem activitatem suspendat vel, si necesse sit, Synodum dissolvat. Quae in Codice vigenti c. 468 § 1 proevidetur; in Codice praecedenti de hac Episcopi obligatione nihil formaliter praevidebatur.

6. DE SYNODI DOCUMENTORUM PROMULGATIONE ET APPLICATIONE

In Synodi conclusionem eius documenta typis edita eduntur. Quae documenta alia sunt «Acta», alia «Decreta». Prima sunt Acta quibus exponuntur quae in Synodo celebranda sunt facta. Quae documenta historica sunt at non sine momento ut melius intelligantur Decreta. In Actis saepius melius apparet cur actio Synodalis fuit fructifera, quomodo unitatis et fraternitatis causa, immo quo suffragiorum numero accepta et approbata sunt Decreta.

Praeter Acta, in libro Synodi eduntur Declaratio-

nes et Decreta. Prima documenta sunt uti futuri programmatio, altera actionis pastoralis directa normativa qua plura olim usitata vel denuo inculcantur vel reformantur vel ut nova instaurantur. Ambo sunt obligatoria, prima sub forma exhortationis vel monitionis, alia sub forma directiva et praeceptiva.

Decreta vero natura sua maioris sunt momenti ex eo quod eorum applicatione mens et voluntas Synodi in praxim deducuntur. At experientia semper comprobatur, decreta synodalia eo maioris roboris esse et valoris, quo sint numeri minoris sed magis incisiva et complexiva. Decreta enim tanto maioris sunt efficacitatis quanto ad essentialia melius definienda destinantur. Quae eorum momentum et pondus saepius non nisi conclusa Synodi celebratione experiuntur, immo ex eorum applicatione clarius percipiuntur. Monendi sunt tempestive Synodales ne textus longiores fiant ut sint efficaciores; sint potius maioris discernimenti ut largior et profundior sit eorum applicatio, diutior fiant in vita dioecesana influxus et irradiatio.

Decreta, auctoritate Episcopi lata ab omnibus fidelibus iuxta materiam suam sunt applicanda; quae ut valida sit et efficax eorum applicatio, praeter omnium collaborationem et submissionem, exoptantur sapiens et continua de eorum applicatione vigilantia et cura. Quae non tantum est Episcopi officium sed totius Curiae dioecesanae ministerium. Immo in votis est ut ab Episcopo constituatur «Commissio vigilantiae» quae de applicanda Synodo agat et de eius Decretorum recta interpretatione iudicium ferat; secus, ut saepius, post Synodum celebratam plura silentio evanescent et ignorantur, non autem applicantur.

7. EPISCOPUS DIOECESANUS SOLUS IN SYNODO LEGISLATOR

Ut c. 466 refert, traditione diuturna solus Episcopus dioecesanus est Synodi legislator. Tali modo clare affirmatur potestas Episcopi et vitatur omnis suspicio legislationis popularis et democraticae. Ecclesia non est democratia moderna sed voluntate Christi communio hierarchice exstructa.

Quaestio ponitur consequenter: cur vocantur acta, decreta, declarationes textus synodales, si legislative sunt unius Episcopi. Suntne nominandi tales textus legislativi episcopales?

In c. 466 recte dicuntur decreta et declarationes esse acta synodalia; quae vox plures potest habere significationes.

Synodalia sunt quia in Synodo parata; sunt fructus cooperationis activae synodaliū, etsi isti non sint legislatores. Actio synodalis specifica fit signum unitatis et caritatis in communione eiusdem vitae, eiusdem fidei et salutis. Quae actio communis non minuit Episcopi auctoritatem vel potestatem, eam potius sustentat et ampliat. Omnia quae in Synodo sunt proposita, recepta et conclusa, decreta et acta fiunt legislativa voluntate Episcopi et vi eius missionis divinae. Tali modo exprimantur simul non tantum plena Synodaliū corresponsabilitas et erga Episcopum eorum submissio sed eorum participatio specialis exprimitur.

Ipsa actio synodalis non eo deveniat oportet ut in Synodo exprimantur et concludantur normae quas Episcopus ut legislator promulgare nolit vel non possit. Ipsius Episcopi erit per seipsum vel collaboratores sodales in Synodo praemonere atque ita informare ut talis oppositio fiat impossibilis. Quae unitas mentis et

actionis non obtinetur nisi assidua ipsius Episcopi in Synodo praesentia et directa eius participatione.

Hac Episcopi praesentia in Synodo apparet clarius ipsum esse membrum Synodi, cui praesidet, quam convocavit et, si necesse sit, ad damna vitanda, suspendit vel supprimit (c. 468).

In codice haec distinctio inter Episcopi potestatem et aliorum synodaliū collaborationem clare exprimitur, dicendo synodales non habere nisi votum consultivum. Quae distinctio inter votum consultivum et deliberativum bene nota hoc in casu effert munus Episcopi illudque a munere aliorum synodaliū distinguit.

At ex eo non deducitur synodales nullam habere missionem, nullum influxum. E contrario responsabilitas eorum ex eo effertur quod eorum actio fit in legislativa actione et potestate cooperatio. Non potest dici vel affirmari synodales remanere simplices fideles. Sunt autem Episcopi cooperatores in munere legislatoris, sunt et quid maius, vitae nempe et veritatis testes.

Profundius est dicendum Episcopum esse solum et unicum legislatorem in actu conclusivo; alii synodales active et efficaciter collaborant, suas partes agentes, ut potestas Episcopi melius in vita radicetur et sustineatur. Quae omnia sunt aliquando novo doctrinali studio melius investiganda; corresponsabilitas ut rectius exprimatur est participatio in exercitio potestatis; quae responsabilitas ut participatio fidelium activa recte exprimatur. Unum habetur punctum firmum: sine synodalibus Episcopus in casu non agere potest ut fiant decreta, ab eo promulgata, vere synodalia.

8. DE DECRETORUM ET DECLARATIONUM SYNODALIUM COMMUNICATIONE

Iuxta c. 467 mittenda sunt decreta et declarationes in Synodo confecta et ab Episcopo promulgata Episcopo metropolitano et Conferentiae Episcoporum, quae sit vel regionalis vel nationalis. Tali modo recte exprimitur et roboratur ligamen inter viciniore Episcopos vicens. Non assumpta est in codice actuali actuum synodali communicatio ad Santam Sedem. Quae tamen in schemate codicis praevidebatur sed ultimatum reiecta est, ne fiat talis communicatio forma centralisationis, uti dicebant consultores. Sed adest hodie idem immo et maius periculum centralisationis in hodiernis Conferentiis Episcoporum, praesertim nationalibus, qui plures dioeceses coadunant et sub influxu manent secretariatus conferentiae, qui semper, ut activus sit, magis coadunat. Quae vinculatio strictior fit cum sit propinquior et minoris sint dioeceses muneris et extensionis. Congregationi Episcoporum devolvitur iuxta Const. Apost. «Pastor Bonus» cura de Episcoporum muneris exercitio et Ecclesiarum particularium vita.¹⁹ Videtur non tantum utilis sed necessaria cognitio actuum synodali ad meliorem de dioecesium vita informationem. Certo certius numerosae sunt dioeceses in mundo sed non semper maioris extensionis et populationis, immo non omnes eodem tempore Synodum dioecesanam celebrant,

¹⁹ AAS, 80 (1988) 841-930. Vide pp. 879-881, art. 79; 81-82. Cfr. AA.Vv., *La Curia Romana nella Cost. Ap. «Pastor Bonus»*. Libreria Editrice Vaticana, 1990, 571 p. Vide M. COSTALUNGA, *La Congregazione per Vescovi*, pp. 281-307; vide pp. 289-291. Nuntiatur p. 291 praeparatio *Instructionis de Synodo dioecesana*, quae pro tempore non publici iuris est.

cum non sit tempore fixo earum convocatio facta. Immo maioris extensionis dioeceses non regulariter Synodum celebrare possunt, immo eam simpliciter vix celebrari poterunt.

Quaenam sunt Metropolitano vel Conferentiae Episcoporum documenta mittenda? E textu Codicis Decreta et Declarationes, at ut illa melius intelligantur et pondere suo aestimentur, etiam Acta communicentur, sive uno volumine cum Decretis publicata sive etiam separatim edita Acta et Decreta.

Praevideri potest hanc communicationem actuum synodaliū, si non obligatoria, tamen fraterna communione fieri et collaboratione cum Sede Petri. Quae unitatis signa sunt fovenda et hodie melius exprimenda; immo ad «visitationem ad limina Apostolorum» parandam et peragendam sunt necessaria.

Speciali ligamine devincitur Episcopus dioecesanus cum eius Metropolita²⁰. Non sine momento fit eius praesentia vel in praeparatione Synodi vel studiorum conventu in quo ipse Synodales alloqui et in activitate sua sustinere velit²¹.

9. DE SYNODI INTERRUPTIONE ET EIUS DISSOLUTIONE

In c. 468 tractantur expresse puncta difficiliora: Episcopo dioecetano competit pro prudenti suo iudi-

²⁰ C.I.C., cc. 467; 435-436.

²¹ Vide *Acta Synodi Laudensis* ubi datur prolusio Card. Caroli M. Martini Metropolitanae Ecclesiarum Regionis Lombardiae, die 25 sept. bris 1986 data, cuius titulus est: *Tra indifferenza e speranza: La domanda religiosa degli uomini del nostro tempo alla luce del Vangelo*, pp. 75-89.

cio synodum suspendere vel dissolvere. Iste canon comparari potest cum c. 501 § 3 in quo praevidetur dissolutio consilii presbyteralis, non eius suspensio; dissolvitur si eius missionem in bonum dioeceseos non adimpleat vel suo munere graviter abutatur. At consilium intra annum noviter constitui debet. Quod in casu Synodi interrumpendae vel dissolvendae non exigitur. Immo ipse Episcopus non potest suum presbyterale consilium dissolvere nisi praevia consultatione Episcopi metropolitani vel si agitur de ipsa sede metropolitana, praevia consultatione Episcopi suffraganei promotione — non aetate — antiquior. Quae iterum in casu Synodi interrumpendae vel dissolvendae non praevidetur neque exigitur. Episcopus dioecesanus in casu solus agat et libere quidem.

Ratio interruptionis vel dissolutionis non dantur c. 469. Dari possunt plures rationes: et negativae fuerunt si Synodales contra mentem Episcopi aut legem Ecclesiae generalem agerent; et positivae fuerunt ut facilius quaestiones profundius examinarentur, vel etiam ratione pastoralis aut doctrinali plenius essent fundandae. Etiam Synodus posset, si casu haberetur, dissolvi ratione numeri sodalium quo complexa fieret ipsa actio vel discussio synodalis. Quo in casu, minui posset numerus presbyterorum in consilio presbyterali nimis altus, vel canonicorum capituli cathedralis, vel vicarii forenses reducendo decanatum numerum, praesertim si in multis iam paroeciis desunt parochi quorum vicem gerunt diaconi permanentes, laici religiosi vel religiosae vel alii christifideles.

Uti experientia constat, Synodus fit minoris vigoris quae numero sodalium est gravata, vel si sodales ipsi non sufficienter sint parati vel etiam si in ipsa dioecesi ob debilitatem actionis synodalis ipsa Synodus non videatur qualificata, nimis celeriter convocata

et non efficiens et adiunctis aptata. Quae omnia non sunt hypothetica, saepius vero realia et vera.

Insuper notatur in c. 468 § 2 affirmari Synodum non dari sine Episcopo. Si autem proveciori aetate officio renuntiare debeat, ipso facto Synodus a novo Episcopo vel continuari vel extinguere potest. Impru- denter autem convocatur Synodus ab Episcopo qui mox munus non iam impleri poterit vel celebrata Synodo eius applicare non poterit Decreta. Immo non sine vera difficultate fit in fine Synodi remotio Episco- pi ut in aliam sedem transferatur vel ad altiora etiam implenda munera designetur. Novus Episcopus non sine maxima attentione et cura Synodum celebratam in vitam dioeceseos eius decreta assumens in praxim deducit.

Eadem difficultas proseguendi synodalem activi- tatem habetur, si Episcopus repente fit aegrotus, non iam plene dioeceseos vitam dirigere potest, et gravio- ra iam fiunt pro eo ordinaria sui ministerii onera. A fortiori, ipso iure interrumpitur Synodus, si Episcopus ob bellum aut internas nationis difficultates a sede sua absens est, in exilium ducitur, captivitate in munere excercendo impeditur. Quae omnia in canonis textu non dicuntur, at generali modo subaudiuntur.

10. DE SYNODIS POST-CONCILIARIBUS

Statim post Concilium Vaticanum II^{um} convoca- tae sunt Synodi dioecesanae plures, quae post pro- mulgationem Codicis anni 1983 factam magis numero- sae fiunt. Earum Acta et Decreta obiectum studii fieri possunt quo paulatim appareat difficultas condendi iura particularia, dioecesana. Sed ad tale «ius pro- prium» parandum et condendum nondum habentur in

unaquaque dioecesi canonistae, et in hac re vere periti.

Apparet insuper Synodos dioecesanās esse diversae qualitatis et claritatis iuxta dioeceseos extensionem, populationem, atque in maioribus deesse sufficientem renovationis aptitudinem quae structuris pluribus et fixis magno impediuntur pondere ut hodiernis necessitatibus sese faciliter aperire possint.

Tria puncta de his Synodis post-conciliaribus in lucem poni possunt: sunt praeprimis, quod saltem exoptant, conatus applicandi in Ecclesia particulari doctrinam et Decreta Concilii Vaticani II. Quod non fieri potest nisi unaquaeque diocesis melius propriam suam cognoscat identitatem. Quae cognitio supponit et exigit investigationes historicas, reflexionem de sua traditione spirituali et apostolica.

Immo notanda est tertio in his Synodis cura pastoralis nova de laicatu cui propria munera sunt agnoscenda, proponenda et fovenda.

a. *Applicatio Concilii Vaticani II* fit positiva, si ad renovationem vocat, non praeterita etiam recentiora damnat, sed ipsum Concilium vult cognoscere, applicare et vitae dioeceseos concrete aptare. Sed ipsum Concilium qui totam vitam Ecclesiae in mundo consideravit, nondum plene cognitum est, dum celerius mutat mundus in quo vivat oportet. Immo Concilium plures consideravit doctrinales quaestiones quas profunde investigari non potuit. Videntur plura in Concilio affirmata esse quae non plene sunt determinata, immo ulteriori disquisitioni remanent subicienda.

At quod traditione Ecclesiae corroboratur, remanet Synodus dioecesana via particularis et apta ut

Concilium in vitam ecclesiam concretam introducat. Quae, si vivitur, profundius intelligitur.

b. *Identitas dioeceseos invenienda vel renovanda.* Synodus est dioecesis; de vita dioecesis agat oportet. Est occasio propriam dioeceseos identitatem inveniendi et renovandi, quae saepius, ultimis decenniis perturbata est et quidem nimio influxu unificationis ex actione magis nationali; influxus Conferentiae Episcoporum — speciatim ante Codicis promulgationem — non raro minuit Episcopi dioecesis auctoritatem et libertatem; structurae magis dioecesis iterum exoptantur, quae directae, in regione ecclesiastica assumuntur communia uti sunt seminaria praesertim maiora, tribunalia primae instantiae. Quibus hodie deficientibus, minuitur numerus peritorum in re doctrinali sicut et in praxi iuridica. Minor est etiam directa et personalis actio ipsius Episcopi, qui olim solus confirmationis sacramentum administravit. At confirmatio puerorum ab Episcopo non semper fuit felix; non erat occasio totam paroeciam apte visitandi et alloquendi.

Si theologica Ecclesiae particularis melius intelligitur positio in Ecclesia universali, ei invenienda vel renovanda est propria identitas variis quidem modis, etiam in Concilio Vaticano II propositis, uti sunt presbyterium eiusque consilium, consilium pastorale dioecesis, collegium consultorum, melior paroeciarum identitas et cum sede episcopali coniunctio.

E contra rarius presbyterorum et diaconorum fit in Ecclesia cathedrali ordinatio; paroeciarum cura non iam a Sacerdote ut proprio paroco assumitur; diaconis permanentibus, immo et laicis, religiosis et aliis, committitur earum cura, etsi moderator remaneat aliquis presbyter qui solus non omnia adimplere

potest munera pastoralia, et rarius quae sunt vere sacerdotalia (c. 517).

At duplex hic facienda est animadversio. Prima est sequens: in hac personalitate seu identitate dioeceseos configuranda, reformanda vel restauranda non minoris momenti est ipsa persona Episcopi, qui populum proprium bene cognoscat, e dioeceseos regione oriendus, ut sit pastor verus et dux Ecclesiae suae. Altera animadversio est de modo quo definienda et clarificanda est ipsa «identitas spiritualis» Ecclesiae dioecesanae. Quaestio hodie eo magis exsurgit quo multi iuniores fiunt in quodam «motu ecclesiali» sacerdotes atque in seminariis non dioecesanis ingrediuntur et efformantur. In seminariis dioecesanis vitam spiritualem, quam profundiores exoptant, non inveniunt.

Et ponitur strictior quaestio: estne propria uniuscuiusque dioeceseos spiritualis identitas? Quaenam sit? Quomodo definienda et excolenda? Estne eruenda a sua traditione viva? E fundatorum praesentia, cultu, influxu? Romae vivit et regit Petrus. Casus est unicus. Sed estne memoria fovenda et evolvenda eorum qui in dioeceseos vita exemplo et doctrina stimulo fuerunt? Estne patronus dioeceseos titulus tantum vel totius vitae stimulus et exhortatio? In hac materia plura sunt perpendenda. Pro sacerdotibus et seminaristis non sufficit generalis quaedam sacerdotii theologia, sicut et pro christifidelibus non iam generalia sunt tantum inculcanda praecepta.

c. *Laicorum vita et simul in ea missio* hodie in Synodo dioecesana exoptantur melius definienda. Quae laicorum positio diu nimis fuit passiva. Ipsa Actio catholica non fuit generalis totius populi in dioecesi renovatio. Sed ipsa natura, munera et missio laico-

rum in ipso Concilio Vaticano II^o paulatim sunt clarificata, sed etiam in Synodo Episcoporum de laicis recter celebrata non plene est identificata. Estne hodie potius exponenda positio Christifidelium tamquam fundamentalis et distinguenda varietas «ordinum personarum»? Immo et ipsum sacerdotium ut Christifidelium «ordo» est intelligendum, non ut separatio sed ut ad muneris proprii servitium exercendum segregatio seu divina vocatio.

Hodie in Synodis iam melius clarificatur et definitur missio laici in catechesi tradenda, in vita liturgica celebranda, in consiliis pastoralibus et oeconomicis dioecesanis et paroecialibus exercenda. Eorum libertas agendi est etiam admittenda et recognoscenda in variis associationibus publicis sed et privatis, quae ultimae hodie semper maioris fiunt momenti ut coetus spirituales et motus ecclesiales²².

Non deest hodie periculum quo deperdant ipsi laici *propriam identitatem*, qui saepius maioris sunt activitatis et deditionis in munera sacerdotalia non sacramentalia assumenda et exercenda, praesertim in paroeciis dirigendis et adiuvandis. In variis nationibus acute ponitur quaestio problematica de sic dictis «cooperatoribus pastoralibus», qui aliquando erronee vocantur «pastores», immo presbyteris assimilantur, quibuscum ad exercitia spiritualia regulariter, saltem

²² C.I.C., cc. 298-329. De motu ecclesiali vide studia in *Periodica* publici iuris facta: J. BEYER S.J., *Motus Ecclesiales*, in *Periodica* 75 (1986) 613-637; *De motu ecclesiali quaesita et dubia*, *Ibidem* 78 (1989) 437-452 et G. GHIRLANDA, S.J., *Quaestiones de Christifidelium Consociationibus non solutae*, *Ibidem* 80 (1991) 523-558. Bibliographia amplia datur in *Periodica* 75 (1986) 614-615.

annua, peragenda convocantur et obligatorie quidem. Unde ubique ponitur quaestio de meliore et recta collaboratione presbyteros inter et laicos obtinenda, non ob vocationum sacerdotalium carentiam actualem sed ob profundiores quae habetur in doctrina unionem inter omnes christifideles; quae unio sit vera ecclesiastis communio.

De missione Ecclesiae in mundo connexa in Synodis dioecesanis ponitur quaestio. Quae missio non est tantum laicorum sed omnium Christifidelium. Presbyteri, praesertim dioecesani, etiam sunt «in medio mundo» omnes (P.O. n. 17a). Non separantur a mundo sed ad ministerium segregantur (P.O. n. 3). Immo nemo Christifidelium extra mundum est, qui necessario in mundo vivit.

Ipsa dioecesis est Ecclesiae Christi activa in mundo praesentia. Unde Synodus dioecesana necessario de hac activa in mundo praesentia agere debet. Optata sunt definienda, consueta saepius revisenda, nova introducenda. Quae omnia elementa a localibus dependent adiunctis, quae in Actis et Decretis Synodorum iam celebratarum clarius semper apparent. Uti recte enumerantur, sunt institutiones considerandae antiquiores, ut paroecia; novae, ut varia consilia dioecesana et paroecialia; atque recentiores, uti «motus ecclesiales».

11. DE RENOVATIONE A SYNODO EXOPTATA APTE FOVENDA

Ipsa dioeceseos renovatio non solis obtinetur Decretis. Sunt saepius Declarationes quae mentem Synodi exponunt quin imponantur de hac re decisiones. Plura possunt tali Declaratione exponi utilia, immo

necessaria, non tantum ad doctrinam tuendam vel melius affirmandam, sed etiam ad nova conamina proponenda, quae, optatam renovationem dioeceseos stimulant et suggerunt.

Tria videntur maioris momenti in hac vita dioeciesana fovendam, nempe dioeceseos propria sacerdotalia munera, vocationum sacerdotalium sufficiens immo crescens numerus obtinendus, ipsius dioeceseos plura et qualitativa structuratio.

Nemo non videt quomodo, deficiente numero sodalium validi presbyterii, plura *sacerdotalia munera et officia* diaconis permanentibus, immo et laicis concreduntur, speciatim in paroeciis ubi loco parochi, etiam vi novi Codicis, alii munere suo etsi suppletivo modo funguntur. In his locis minuitur celebrationis eucharisticae regularitas olim cotidiana, fiunt «dominicales adunationes» quae saepius non iam, uti dicunt fideles, catholicae traditionis sed reformatoriae videntur praxeos, directa cum proprio pastore minuitur relatio, immo saepius «pastores» in nonnullis regionibus viri et mulieres abusive vocantur, qui loco sacerdotis plura exercent ministeria. Quae suppletiva dicuntur, fiunt consueta. Neque desunt abusus graviores in dioecesibus in quibus «pastorales operadores» syndacali coram statu civili actione propria affirmant iura et vindicant. Talis actio syndacalis ministeria sacra ad activitatem socialem reducit atque ministrorum cum Episcopo dioecesano fundamentalem suscitatur oppositionem quae spiritualem fraternitatis et servitii relationem supprimit.

In votis etiam fidelium est ut etiam hodie sacramenta a sacerdotibus administrentur, ut sunt baptisma et communio eucharistica in sacrificio missae recipienda, immo et matrimonium potius coram sacer-

dote a coniugis ineundum. Non ministerium sacerdotis est, uti dicitur, ad sola acta sacramentalia a solo ministro ordinato ponenda restringendum.

Altera momentosa quaestio saepius in Synodis agitur, quae est hodierna *vocationum sacerdotalium diminutio*. Plures dioeceses vocationum carentia difficulter ministeria ordinaria, praesertim paroecialia a sacerdote exercenda retineri possunt. Certo ad sacerdotes alius dioeceseos vel etiam alius nationis in auxilium advocandos devenire potest, sed sacerdotes qui propriae regionis vel eiusdem culturae sunt ad stabilem et antiquiorem vitae christianae observantiam servandam et fovendam maximi remanent momenti. At alia plura obstacula sunt vitanda, alia denuo instituta restauranda et fovenda.

Qui a Deo ad sacerdotale ministerium vocantur, non eo ipso ad propriam dioecesim destinantur. Qui a Deo vocati, libere suam eligunt Ecclesiam in qua, inter alia, seriam exquirunt ad ministerium formationem atque etiam proprium sacerdotalem spiritum quo unaquaeque dioecesis proprio dono excolere et servare potest. Non iam sufficit ad vitam sacerdotalem generalis aliqua theologica de vita sacerdotali natura et ministerio doctrina. Vitae sacerdotalis ministeria concrete sunt peragenda, charismatis dono intelligenda et animanda, quae olim in institutis religionis tali modo exercebantur sed hodie amplius variis in associationibus et ecclesialibus motibus communi spiritu et apostolico conamine assumuntur.

Unde, ut experientia constat, in dioecesi in qua seminarium iterum instituitur cum proprio quidem communi spiritu et formatione profundiore, numero maiores facilius candidati conveniunt, etiam ex variis dioecesibus. E contra seminaria pluribus dioecesibus

communia propria indigent identitate sicut et laxior plurium Episcoporum est directio et cum candidatis ad sacerdotium contactus. Seminaria et schola theologica, si prope Ecclesiam cathedralem instituuntur, hanc vitae dioecesanae participationem, etiam liturgicam, faciliorem reddunt et cum ipso Episcopo dioeceseos communicationem et unitatem.

Nocet enim qualitati vitae dioecesanae absentia seminarii maioris, cum, eo deficiente, non iam habentur vel praeparantur professores et semper numero minores sunt sacerdotes qui studia altiora ad lauream in disciplinis ecclesiasticis obtineant.

Ut dioecesis sit et remaneat vera Ecclesia particularis reintegranda sunt quaedam officia maiora quae saepius hodie fiunt regionalia. His deficientibus, Ecclesia dioecesana in sua vita ordinaria debilitatur, cum plura, quae ei sunt essentialia, collaboratione supradioecesana exercentur. Ecclesiae imago dioecesana non iam retinetur et futuris sacerdotibus videtur minoris efficaciae et unitatis.

Quae omnia hodie facilius in Synodo exponuntur, praesertim a laicis, qui Ecclesiam dioecesanam suam maioris exoptant et profundioris vitae propriae, tum in ministeriis quam in ipsa laicorum propria missione.

12. DE SYNODORUM VARIIS IN NATIONIBUS CONIUNCTA CELEBRATIONE

Synodi nationales convocatae et celebratae sunt quorum pondus et effectus difficilius explorantur et definiuntur. Sub triplici aspectu de tali Synodo verba sunt facienda.

Est ab una Conferentia Episcoporum instaurata Synodus nationalis celebranda, eodem tempore quo

simul coadunabantur et celebrantur Synodi dioecese-nae. Tali modo maioris fiebat in vita nationali Eccle-siae unitas et affirmabatur cooperatio plenior. Casus, uti videtur, fuit unicus²³. At tamen observantur etiam difficultates ex eo quod aliae dioeceses sint magis ex-tensae, aliae minoris populationis et extentionis, uti sunt quaedam abbatiae nullius quae tamen in historia et vita catholica maximum exercent apostolicum influxum²⁴.

Fuit autem alia natio in qua constitutum est «Na-tionale Synodale Officium» quo facilius et aptius uniuscuiusque Synodi dioecese-nae fuit praeparatio et celebratio; quod²⁵ officium plura paravit documenta uti v.g. «Synodale statutum» et etiam «Synodale regu-lamentum», immo et de variis materiis in Synodo trac-tandis a peritis elaborata documenta.

Una insuper fuit et unica ab omnibus simul Epi-scopis concreta et celebrata synodus²⁶.

²³ Synodus nationalis fuit Confederationis Helveticae in qua numerantur dioceses a Sancta Sede directe dependentes quin ha-beatur Metropolitana sedes: sunt dioeceses *Basileae* (Basel), *Chu-riensis* (Chur), *Lausannensis*, *Genevensis* et *Friburgensis* (Fri-bourg) qua civitate est sedis episcopalis, *Sancti Galli* (Sankt Gal-len), *Sedunensis* (Sion) et recenter a dioecesi Basiliensi seiuncta (1971) quae nunc est *Luganensis* (Lugano). Synodus celebrata est anno 1972. Vide Bibliographiam in Adnexum II sub paragrapho «Synodi nationales recentes».

²⁴ Abbatiae territoriales sunt Einsiedlensis (Einsiedeln) et S.ti Mauritii (Saint Maurice).

²⁵ *Austria* hanc secuta est viam, etsi non eodem tempore ce-lebratur unaquaque Synodus dioecese-na.

²⁶ Fuit anno 1972 Synodus nationalis in Republica Foederali Germaniae. De Synodis Confoederationis Helvetiae et Republi-cae Germaniae Foederata. Vide in Appendice II sub titulo «Syno-di nationales».

Quae tamen omnia facta non semper felicia sunt et opportuna, nam minuitur de facto libertas dioeceseana et propria dioeceseos effigies turbatur. Unde sequentia videntur exoptanda.

Nulla fiat ex parte auctoritatis vel instituti collegialis actio qua maior promoveatur inter dioeceseos similitudo. Iam de conferentiis Episcoporum notae sunt Episcoporum lamentationes qui generali norma a Conferentia lata in actione sua pastoralis disturbantur. Alia vero est positio dioeceseos centralis, alia periphericae, sicut diversa est parvae vel maioris extensionis et populationis.

Querelae adhuc maiores audiuntur de secretariatu Conferentiae Episcoporum, quae in nationibus maioris extensionis, saepius documenta et proposita publici iuris faciunt quae neque necessaria neque optata dicuntur.

Unde hodie, si coadunatio et concertatio sit necessaria, alia sunt quaerenda et proponenda collaborationis media, practica simul et discreta.

13. DE SYNODIS DIOECESANIS IN POSTERUM CELEBRANDIS

Codices primus (1917) et actualis (1983) diversas de celebrandis Synodis habuerunt normas, etsi olim exoptabatur repetitio Synodi omni decennio; nulla temporis determinati iam in novo Codice habetur determinatio, hoc quidem expressa voluntate Episcoporum²⁷.

²⁷ De hac re vide «*Relatio*» p. 109 ad c. 380, qui in codice promulgato est c. 460. Textus sine nominibus cardinalium habetur in *Comm.* 14 (1982) 210.

Duplex habetur de iteranda Synodo dubium.

Notatur primo casus omnino particularis, quo his annis convocatae sunt Synodi ut fieret melior applicatio Concilii Vaticani IIⁱ. Quod Concilium primum fuit ecclesiologicum et amplissimae materiae in vita Ecclesiae considerandae et applicandae. Non talia omnia fuerunt Concilia praecedentia. Immo, uti recte notatur, Concilium saepius lente et progressive in vita Ecclesiae assumitur et applicatur. Qui iam tertium, uti dicunt, Concilium Vaticanum exoptant, practica ignorant et sua vota ut realia imaginantur.

Quidam Episcopi recenter Synodum celebraverunt de materia strictiori, atque sibi proponebant novae Synodi convocationem regularem. Quod et eorum successores non fecerunt. Immo et alii continuo suam dioecesim in statu synodalis convocationis non poterant longius retinere.

Altera est hodie proposita reflexio. Cur Synodi fiant regulariter, cum tot sint in dioecesi convocanda consilia, alia presbyteralia, alia pastoralia, alia oeconomica. Immo ob membrorum numerum talium Consiliorum videtur semper maioris fieri momenti Consilium episcopale de quo pauca nimis in Codice; quod Consilium in praxi iam in variis dioecesibus prolungata habebat amplior participantium numerus. In Codice actuali restringitur ad solos Episcopi dioecesani vicarios generales et episcopales (c. 472 § 4), dum traditione iam fixa convocabantur simul rector seminarii, oekonomus generalis et officialis, qui hodie vicarius iudicialis nominatur. Quae animadversiones in praxi Ecclesiae non sine momento erunt et sine influxu remanebunt.

ADNEXUM I

Utile videtur hic dari alicuius Synodi dioecesisanae post-conciliaris chronologia²⁸; quae Synodus annis 1986-1988 celebrata est²⁹.

*CHRONOLOGIA SYNODI*³⁰

11.2.86	Commissio antepreparatoria constituitur (A.71).
6.6.86	Commissio praeparatoria centralis et «Officium Synodi» instituuntur (A. 105).
1.9.86	Indictio Synodi (A. 9).
3.9.86	Epistula Episcopi ad totam dioecesim (A. 11).
8.9.86	Epistula brevior in omnibus Ecclesiis et oratoriis legenda (A. 13) cum textu orationis specialis pro bono Synodi exitu obtinendo (A. 15).
10.9.86	Epistula pastoralis I ^a in qua Synodus ut epilogus visitationis pastoralis proponitur et quae ad totam dioecesim mittitur (A. 19).
25-27.9.86	Conventus praeparatorius primus in quo verba ad fideles faciunt Archiepiscopus metropolitanus (A. 75) et ipse Episcopus dioecesisanus (A. 90).
15.12.86	Instituuntur novem commissiones studiorum (A. 199). Paratur «Ordo Synodi» (A. 119).
24-26.9.87	Conventus praeparatorius secundus cui omnes participare possunt fideles (A. 125).
28-30.12.87	Seminarium studiorum de rebus in Synodo tractandis (A. 126).

²⁸ Synodus est dioeceseos Laudensis, italice Lodi, quae dioecesis est numero incolarum media, non nimis extensa, in regione Lombarda sita.

²⁹ Synodi Laudensis duo sunt volumina publicata. *Acta*(168 p.) et *Constitutiones* i.e. Decreta et Declarationes (438 p.). Quae volumina optimum hodie videntur «manuale» esse ad Synodum parandam et celebrandam.

³⁰ In hac chronologia citantur Acta (A) et Constitutiones (C) cum paginarum numeratione.

- 31.1.88 Epistula ad membra commissionis praeparatoriae centralis (A. 117).
- 31.1.88 Institutio commissionis restrictioris ad textus Synodales parandos (A. 135).
- 11.5.88 Promulgantur normae de eligendis presbyteris qui Synodi sodales sint (A. 147).
- 21.5.88 Epistula pastoralis II^a ad totam dioecesim (A. 42).
- 21.5.88 Convocatio Assembleae Synodalis (A. 143).
- 25.5.88 Promulgantur normae de eligendis laicis qui Synodi sodales sint (A. 144).
- 11.6.88 Colloquium Episcopi cum auctoritatibus civilibus: «Synodus et Territorium» (A. 139).
- 8.9.88 Epistula pastoralis III^a ad totam dioecesim (A. 55).
- 20.9.88 Decretum quo Assemblea Synodalis constituitur et membra Synodi enumerantur (A. 149).
- 7.10.88 Epistula Episcopi ad Synodi sodales (A. 65).
- 12.10.88 Ordo Synodi promulgatur (A. 157).
- 12.10.88 Organa Synodi constituuntur: secretarius generalis, moderatores duo, commissio ad emendationes, secretaria operativa (A. 159).
- 22.10.88 Prima Synodi sessio (A. 162).
- 5.11.88 Secunda Synodi sessio (A. 169).
- 19.11.88 Tertia et ultima Synodi sessio (A. 172).
- 8.12.88 Promulgantur Synodi constitutiones (C. 7).
- 31.12.88 Celebrationis Synodi decretum conclusivum (A. 185)³¹

³¹ Ad Synodum in praxim vitae dioecesanae melius introducendam tres parvi sunt fasciculi editi recenter qui, in commissionibus et circulis, sodalibus praesto sunt. Tres fasciculi sunt nova editio Capitulum Constitutionum nempe IIⁱ *De Populo Dei*, IIIⁱ *De Populi Dei membris* IVⁱ, *De Populi Dei in fundamentalibus suae vitae organis exprimenda*.

ADNEXUM II

BIBLIOGRAPHIA SELECTA

A. *Fontes*

Praeter Concilii Vaticani II textus in C.D. nn. 11 et 36, videntur magni momenti quae in *Communicationes* de opere commissionum sunt relata.

Relatio complectens synthesim animadversionum ab Em.mis atque Exc.mis Patribus Commissionis ad novissimum schema C.I.C. exhibitorum cum responsionibus a Secretaria et consultoribus datis, Typis Polyglottis Vaticanis, 1981, 359 p.

Relatio, reticitis nominibus, publici iuris facta est in *Comm.*, 13 (1981) 259-270; 14 (1982) 116-230; 15 (1983) 57-109; 170-253; 16 (1984) 27-99.

De consultorum activitate in redigendis et corrigendis canonibus de Synodo dioecessana in *Comm.*, 12 (1980) 314-319.

Ceremoniale Episcoporum, *Editio typica*, Typis Polyglottis Vaticanis, 1984, 393, p. De Synodo dioecessana vide pp. 277-278, art. 1169-1176.

B. *Studia*

AA.Vv., *Le Synode diocésain dans l'histoire et dans le Code*. Paris, Institut Catholique, 1989.

BEYER, J., *Il Sinodo diocesano*, in *Vita consacrata*, 27 (1991) 381-395.

COLLINS, P.W., *The Diocesan Synod, an Assembly of the People of God*, in *The Jurist*, 33 (1973) 399-411.

CORBELLINI G., *Il Sinodo diocesano nel nuovo Codex iuris canonici*. Roma, 1986.

CORIDEN J.A., *The Diocesan Synod, an instrument of renewal for the local Church*, in *The Jurist*, 34 (1974) 68-93.

DE LUBAC H., *Les Eglises particulières dans l'Eglise universelle*. Paris, 1971.

DORTEL-CLAUDOT M., *L'évêque et la synodalité dans le nouveau Code de droit canonique*, in *NRTR* 106 (1984) 641-657.

FALTIN D., *L'institution synodale dans le Concile Vatican II*, in *Kanon*, 2 (1974) 39-52.

FRANCK B., *Les expériences synodales après Vatican II*, in *Communio* 3 (1978) 3 64-78.

FÜRER I., *De Synodo dioecessana*, in *Periodica* 62 (1973) 117-131.

- HARTELT K., *Die Diözesan-und Regionalsynoden im deutschen Sprachraum nach dem Zweiten Vatikanum*. Leipzig, 1979.
- JOUNEL P., *La célébration du Synode diocésain*, in *L'Année canonique* 31 (1988) 292-310.
- LEGRAND H., O.P., *Synodes et conseils de l'après-Concile*, in *NRTh.* 98 (1976) 193-216.
- LUMPE A., *Zur Geschichte der Worter Concilium, und Synodus in der antiken christlichen Latinität in Analecta Historiae Conciliorum* 2 (1970) 1-21.
- PONTAL O., *Le synode diocésain et son cérémonial du XII^e au XIV^e siècle*, in *L'Année canonique* 14 (1970) 53-61.
- SCHMITZ H., *Die Diözesansynode. Ihre geplante Zukunft in Kirchenrechtlicher Sicht*, in *AfKK.* 128 (1975) 444-454.
- SCHMITZ H., *Reduzierung der nachkonziliaren Räte? Zur Legitimität einer Forderung*, in *Ius Populi Dei, Miscellanea in honorem R. Bidagor*. Roma, 1972, t. II, pp. 89-107.
- SCHMALE F.J., *Synodus, Synodale Concilium*, in *Ann. Hist. Conc.* 8 (1976) 80-102.
- VOGEL C., *Communion et Eglise locale aux premiers siècles. Primatiale et synodalité durant la période anténicéenne*, in *L'Année canonique*, 25 (1981) 169-199.

C. Synodi nationales recentes.

- AYMANS W., *Synode 1972. Strukturprobleme eines Regionalkonzils*, in *Afkk* 122 (1969) 363-388.
- BRAUN K.H., *De communi Dioecesium Rei Publicae Foederatae Germaniae Synodo*, in *Periodica* 57 (1973) 133-141.
- FÜRER I., *De Synodis Dioecesanis in Helvetia*, in *Periodica* 62 (1973) 143-148.
- FÜRER I., *Nach der Synode 72 in der Schweiz*, in *Theologisch-praktische Quartalschrift* 129 (1976) 160-167.
- HEINRICHSMEIER C., *Rechtliche Anmerkungen zur Gemeinsamen Synode der Bistümer in der Bundesrepublik Deutschland*, in *Theologie und Glaube* 61 (1971) 344-348.
- KRÄTZL H., *De Synodo dioecessana Vindebonensi ab a. 1969 ad a. 1971 celebrata*, in *Periodica* 62 (1973) 149-157.
- RULI G., *Il Sinodo collettivo delle Diocesi della Repubblica Federale di Germania*, in *La Civiltà cattolica* 123 (1972) 3, 30-39; 250-259; 124 (1973) 1, 454-463.
- SIMMEL O., *Bilancio del Sinodo tedesco (1972-1975)*, in *Rivista del Clero Italiano* 57 (1976) 244-252.